



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

Leonardelli, Bonaventura

Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739

Casus LX. De Excommunicatione ob factam occultam compensationem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41144

Quòd si ignorantia talis sit, quæ spectatis circumstantiis à mortali sacrilegii culpa excuset, solùmque venialem sacrilegii culpam inducat, ab excommunicationis pœna immunis erit, quia, cùm ad incurrendam excommunica-

tionem majorem, qualis hæc est, requiratur culpa lethalis, ut supra insinuarum est, & ignorantia illa vincibilis culpam duntaxat venialem inducat, ab excommunicationis pœna haud dubiè excusabit.

CASUS LX.

De Excommunicatione ob factam occultam compensationem.

ORTUM ante paucos annos incendium in domo cujusdam personæ Ecclesiasticæ in dignitate constitutæ magnam illius partem absumpserat, totam utique in cineres redacturum, nisi ab acurrente populo brevè fuisset extinctum. Cùm autem occasione extinctionis multa à multis fuissent clam ablata, & occultata, institit persona illa Ecclesiastica apud Episcopum, ut Excommunicationem ferret in eos, qui ablata, & occultata non restituerent, quod & factum est. Unde cùm & Marchesinus opifex, cui persona illa Ecclesiastica debebat ultrà centum florenos, non nulla occultasset, secùmque domum asportasset, ea retinuit in compensationem solutionis debiti à dicta persona alias ægrè obtinendæ.

QUÆR. I. An Marchesinus Opifex teneatur ad restitutionem, & non restituendo à se ablata, & occultata incurrerit Excommunicationem latam in non restituentes?

QUÆR. II. An, si Judex interroget Marchesinum sub juramento, an aliquid occultaverit? possit id negare, & si fateatur, vel aliàs compensatio immutescat Judici, & condemnetur, teneatur in conscientia solvere panam, ad quam ob factam compensationem condemnatus est?

QUÆR.

QUÆR. III. An res per occultam compensationem accepta traseat statim in dominium accipientis, seu compensantis?

341 **A**D I. Q. suppono hic ex-
munissima passim DD. sen-
tentia licitam esse occultam
compensationem, quam quis sibi
facit, servatis debitis, ac requisitis
conditionibus; quia cuilibet ju-
re naturæ permittente, licet acci-
pere rem formaliter, vel æquivalen-
ter suam, quando nulli per hanc
acceptationem fit injuria. Imò jux-
ta S. Th. hinc a. 5. ad 3. etsi aliqua in-
juria intercederet quoad modum,
vel creditor posset rem suam aliã
adhuc viã recuperare, ad restitu-
tionem tamen non teneretur,
quamvis per hujusmodi acceptio-
nem ita factam peccaret.

Conditiones autem ad licitam
occultam compensationem requi-
sitæ sunt sequentes. Prima, ut
debitum sit liquidum, seu evidens,
vel saltem moraliter certum. 2. Ut
debitum non possit aliã viã, vel non
nisi cum magna difficultate aliã re-
cuperari. 3. Ut id, quod vis
compensare, actû tibi debeatur.
4. Ut quantum fieri potest, fiat
compensatio in rebus ejusdem spe-
ciei cum illa, quæ debetur. 5. Ut
res, in qua fit compensatio, sit
debitoris propria, & non tantum
oppignorata, vel deposita &c. 6.
Ut compensans caveat, ne debitor
patiatur damnum aliquod tempo-
rale, vel spirituale, ut si solveret
R. P. Leonardelli Soc. Jes.

debitum jam à te compensatum,
vel si credens debitum nondum esse
solutum maneret in mala fide.
Prius tenemur impedire ex justitia,
posterius ex charitate.

Præterea cavere debet, ne per
accidens sequatur damnum tertio,
ut si aliã alteri imputaretur res
accepta, quasi furtiva esset, vel
periculum foret scandali, aut pro-
priae infamiae &c. His suppo-
sitis.

R. Ad Q. I. Marchesinum (si 342
quidem tantum solummodo accepit,
ac retinuit, quantum juxta æquam
æstimationem adæquat debitum)
nec teneri occultata, ac retenta
restituere, nec ullam, si non resti-
tuat, excommunicationem incur-
rere. Ratio est, quia qui id acce-
pit, non tenetur id reddere quasi
debitum parti, eò quòd justè id
acceperit, ac retineat; neque in
pœnam propter delictum, quia ita
accipiendo nullum commisit deli-
ctum, neque Episcopus præcipere
põtest eam restitutionem, nisi ex
hypothesi, quòd qui id acceperit,
sit in peccato id retinendo, & non
restituendo illi, cui restitui præci-
pit, ut docent Molina D. 692. Lu-
go D. 16. sect. 6. Medina de restit.
q. 11. Navarr. in Man. c. 17. num.
114. Vasq. de restit. c. 5. S. 1. dub.
Bbb 9.

9. Less. c. 12. dub. 10. num. 61. aliique; quia Excommunicatio major supponit peccatum mortale: hinc autem nullum intervenit peccatum mortale, neque in acceptione, neque in retentione, hoc ipso quod compensatio, servatis debitis conditionibus, licita sit; & idcirco neque incurritur excommunicatio, utpote quæ peccatum supponit mortale. Id, quod asserunt citt. DD. etiam pro casu, quo Excommunicatio ferretur in eos, qui aliquid acceperint etiam in satisfactionem; quia etiam tunc accipiens non teneretur ex ipsa rei natura rem ita acceptam restituere, eò quòd non peccaverit contra iustitiam, rem ita accipiendo, quin potius per eam acceptionem redacta sit ad æqualitatem inæqualitas, quæ antea erat inter ipsum, & debitorem; Excommunicatio autem peccatum grave supponat, ut dictum est. Unde ajunt, sensum illorum verborum esse, quòd etiam ii comprehendantur, qui sub falso prætextu compensationis ea bona retinent, vel non servatis debitis conditionibus, ut si debitum erat dubium, vel accepisti rem, quæ non erat debitoris: imò etiam tunc, quando conditio, quæ deficit, talis non esset, ut, seclusa etiam Excommunicatione adhuc esset obligatio restituendi, eò quòd etiam tunc retentio non sit injusta, cum non sit obligatio restituendi, nec dici possit, quòd illa retentio sit illicita ex eo, quòd

fit contra obedientiam, & præceptum Episcopi, cum Episcopus regulariter non possit præcipere, ut restituas, quod tuum est, ut notat Lugo cum aliis l. c. qui ex Vasq. & Less. etiam notat, neque posse Judicem in poenam peccati præteriti præcipere restitutionem, eò quòd poena pecuniaria non possit à Judice imponi, nisi juridicè procedat, & audita parte.

Ad 2. Q. R. Cum Molina, Medina, Navar. Lug. supra relatis, si Judex interroget eum, qui compensationem fecit, posse eum negare, se aliquid accepisse, vel retinere, subintelligendo, quòd restituere teneatur, etiam si sub juramento interrogetur; quia sensus est, se non accepisse aliquid, aut retinere injustè, quòd restituere teneatur, quòd verum est, & quæ sola debet esse mens interrogantis Judicis, si legitimè, & juridicè interroget.

Quòd si ipse Creditor fateatur compensationem à se factam, vel hæc aliunde innotescat Judici, & propter eam occultè factam condemnatur ad solvendam poenam, eum non obligari in foro conscientie ad eam solvendam; quia sententia Judicis, ut notant citt. DD. fundatur tunc in præsumptione compensationis indebitæ, & injustè factæ: ergò in foro conscientie, cum constat, compensationem licitè, ac justè factam esse,

esse, non debetur poena, utpote quæ absque culpa deberi non potest.

344. Ad 3. Q. Medina citt. q. 11. inclinatur in partem negativam, videlicet res per compensationem occultam acceptas non transire Statim in dominium accipientis, seu compensantis, eò quòd antiquus dominus possit postea ejusmodi res extrahere de potestate cujuscumque, apud quem fuerint reportæ, easque tanquam suas sibi vindicare.

Contra verò Molina D. 691. in partem affirmativam propendit, cui ex parte favet Lugo l. c. Tum quia, cum compensatio illa licita sit & justa, atque à jure naturali permessa, eandem videtur vim in se, & in foro conscientia habere, ac si publica auctoritate esset facta. Tum quia ubicumque apprehenditur rei possessio, quæ vel domino careat, vel dominus non sit rationabiliter invitus, nihil deesse videtur, quominus fiat accipientis, siquidem perinde est ad effectum evitandæ malitiæ furti, dominum non esse rationabiliter invitum, ac si res domino careret: atqui quando Creditor non potest aliter suum debitum recuperare, non est, nec potest rationabiliter esse invitus, si ille sibi provideat, & compenset

ex bonis debitoris; cum per hoc dominus rei solum cogatur solvere, quod debet, & postulat justitia: ergo nihil impedit, ne Creditor fiat verè dominus rei acceptæ. Quod

Conf. si dominium rei per compensationem acceptæ perseveraret penes eum, cujus res erat ante compensationem, tunc sequeretur, quòd, si facta compensatione, res illa fortuito, & sine culpa illius periret, qui eam accepisset in suam, non periret compensanti, sed ei, cujus antea erat, eò quòd quando aliud jure non est Statutum, res pereat domino, seu illi, cujus erat: atque adeò posset consequenter ille, qui rem illam in compensationem justam accepit, facere de novo aliam iterum compensationem, & suum debitum exigere, quod nullus admittet, inquit Molina, utpote omninò absurdum: Unde

Ad fundamentum à Medina adductum respondet Molin. debitorem non posse rem illam postea apud Creditorem inventam sibi vindicare, si ipsi constet compensationem factam fuisse cum debitis conditionibus, ut sit licita. Quare si ea res propria auctoritate postea recuperare-

Bbb 2

raretur ab antiquo domino, vel ei per Judicis sententiam adjudicaretur, id fieret, quia præsumeretur facta esse illicitè, & injustè.

Sed expeditius, rectiusque responderi potest, dicendo, Creditorem per licitam occultam compensationem comparare sibi acceptæ rei dominium revocabile, & cum onere, ut quoties debitor vellet debitum suum solvere, posset rem ita acceptam recuperare, ut insinuat Lugo l. c. quia in tantum Creditor poterat rei acceptæ domi-

nium acquirere, in quantum debitor non erat irrationabiliter invitus, ut dictum est; debitor autem, licèt, dum non solvebat suum debitum, non posset rationabiliter repugnare compensationi, poterat tamen rationabiliter consentire cum hoc pacto, & onere; quia hoc modo & sibi, consulebat, & suo Creditori: ergo non potuit Creditor aliter dominium acquirere, nisi cum eo onere, & pacto, quod jam tunc inclusum videbatur ex rationabili voluntate debitoris.

